

procedit illud cit. *c. Bonæ memoriæ*. 3, h. t. ubi dicitur, quod Sedes apostolica, « etiam quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex iustitia, quam ex gratia moveatur. » Quia videlicet postulato ratione suæ inhabilitatis ex postulatione nullum jus acquisitum fuit, simulque hic cessat ratio publicæ causæ, sive utilitatis: beneficium autem invitus nemo regulariter præstare cogitur. (ADNOTATIO XXIX.)

## TITULUS VI.

## De Electione, et Electi potestate.

1. *Ratio ordinis rubricæ*. — sum est titulo præcedenti de uno modo, quo Ecclesiis de idoneo pastore providetur per viam gratiæ, mediante videlicet postulatione: sequitur nunc alius modus, quo providetur eisdem per viam juris, seu mediante electione; nam postulatio innititur gratiæ, electio juri. Quia vero præsens titulus valde copiosus est, simul et scitu utilissimus, eundem claritatis gratia oportet dividere in paragraphos.

## § 1.

## DE NATURA ELECTIONIS, EJUSQUE DIFFERENTIIS AB ALIIS MODIS PROVIDENDI ECCLESIAE.

2. *Electio est nomen verbale; et quid generatim, significet?* — Quæritur I. Quot modis electio sumatur? Resp. I. *Electio* est nomen verbale ac proinde habet duplicem significationem, activam videlicet, ac passivam: ut et cætera verbalia nomina, arg. L. 2, ff. *de Duobus reis*, juncta Glossa fin. ibid. Abbas ad rubricam h. t. n. 2. Et quidem generatim *Electio* significat delectum unius rei, vel personæ, a pluribus. In proposito autem ea restringitur ad personas quoad certam functionem, vel dignitatem ecclesiasticam eligendas. Quo modo de ipsa loquendo,

3. *Accipitur dupliciter*. — Resp. II. Electio dupliciter accipitur. Primo generaliter, seu latissime: quo modo etiam comprehendit postulationem, præsentationem, nominationem, et collationem; nam in his omnibus suo modo eligitur persona beneficio ecclesiastico idonea: quæ postuletur, præsentetur, nomi-

netur, aut cui beneficium libere a superiore conferatur. Sic in *c. Cum Ecclesia*. 31, h. t. Collatio canonicatus vacantis per episcopum facta, vocatur *Electio*: sicut et præsentatio clerici, *c. Querelam*. 24, eod. ibi: « Populus in quasi possessione præsentandi clericum existerat, quando ipsum presbyterum ad illam elegit. » Et quod etiam nominatio nomine electionis veniat, textus est in *c. Quod sicut*, 28, § 1, h. t. Secundo sumitur electio proprie, seu stricte, ac prout a cæteris enumeratis contradistinguitur: et in hoc sensu impræsentiarum de electione loquendo,

4. *Electio proprie dicta, quid?* — Quæritur II. Quid sit electio proprie dicta? Resp. *Electio* est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, seu prælaturam, per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio auctoritate superioris confirmanda. Ita Hostiensis in Summa. tit. *de Electione*. n. 1; Sannig. eod. n. 2, et in re communis; patebitque bonitas datæ definitionis ex declaratione singularum particularum.

5. *Cur dicatur canonica vocatio?* — Dicitur cum primis, « Canonica vocatio. » Quia electio debet esse canonica, hoc est, facta secundum præscriptum sacrorum canonum, id est, absque vitio tum formæ electionis, tum eligentium, tum ipsius electi. Et additur *Vocatio*, non autem *Institutio*: quia electio non tribuit electo jus in re, neque possessionem beneficii, sicuti institutio (quæ vulgo dicitur *Installatio* seu *Investitura*) sed solummodo jus ad rem, donec superioris confirmatio accedat, a qua electio canonica suum complementum accipit, et acquiritur electo jus in re respectu prælaturæ. Atque ideo additur: « Auctoritate superioris confirmanda. »

6. *Episcopi olim dicebantur presbyteri*. — Dicitur ulterius, « Ad ecclesiam vacantem, seu prælaturam. » Quia hæc definitio proprie convenit illi electioni, per quam quis eligitur in caput, ac veluti sponsum Ecclesiæ: sive sæcularis, ut episcopi (qui olim dicebantur presbyteri, can. *Olim*. dist. 96, ibi: « Olim idem erat presbyter, qui et episcopus »); sive regularis, ut abbates, qui in suos quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, *c. Abbates*. 3, *de Privil.* in 6. Quo tamen non obstante ea, quæ in progressu dicentur, etiam cæteris inferiorum electionibus, servata proportione accommodari possunt.

7. *Electio activa et passiva, quæ?* — Dicitur rursus « per eos, quibus jus eligendi competit, » ad denotandam electionem activam;

estque eorum, qui eligere possunt. Et additur « personæ idoneæ, » ad indicandam electionem passivam; illius nempe personæ, quæ est habilis; ut eligatur ad obtinendam prælaturam, sive dignitatem ecclesiasticam.

8. *Habere vocem activam, vel passivam, quid?* *Simpliciter privatus voce, in dubio censetur privatus sola voce activa*. — Et quidem illi, qui possunt eligere, dicuntur habere *Vocem activam*; posteriores, seu qui eligi possunt, habere dicuntur *Vocem passivam*: unde qui privati sunt voce activa et passiva, neque eligere possunt, neque eligi. Si quis vero simpliciter per canones privetur *voce*, id in dubio de activa tantum, quæ simpliciter et absolute *vox* est, non etiam de passiva accipiendum erit: nam in penalibus, stante dubio, verba stricte, atque in propria significatione accipienda sunt, juxta illud: « Odiā restringi, » etc. Et illud: « In pœnis benignior interpretatio est facienda, » *de Reg. juris* in 6. Exemplum hujus habetur in Clem. 2, *de Ætat. et qualit.* atque in concilio Trident. sess. 22, *de Reform.* cap. IV, ubi de iis, qui in ordine saltem subdiaconatus constituti non sunt, statuitur, ut vocem in capitulo non habeant. Intellegitur enim hoc de voce activa dumtaxat, ut tradit Garcias, part. III, *de Beneficiis*, cap. IV, in addit. sub n. 15; Barbosa, *de Canonicis*. cap. XVI, n. 18; Engel, h. t. A *princip.* c. 2. Ac proinde talis canonicus non subdiaconus bene potest eligi, licet non possit eligere. Imola ad cit. Clem. 2. § *An autem*. Potestque exercere actus non collegiales, sive illos, qui expediuntur a canonicis ut a privatis, non ut a capitulo. Glossa ad cit. Clem. 2, §. *In capitulo*.

9. *Modi generales providendi Ecclesiis, qui?* — Quæritur III. Quid sit nominatio, et quomodo differat ab electione, et postulatione? Ubi supponendum quod tres sint generales modi providendi Ecclesiis, videlicet per electionem, postulationem, et nominationem; ut desumitur ex *c. Bonæ memoriæ*. 3. § fin. *de Postulat. prælat.* ibi: « Quatenus per electionem, postulationem, seu nominationem canonicam in personam idoneam convenire curetis: » ac notat Abbas ibid. n. 8. Fagnanus n. 39, et concordat *c. Quod sicut*. § 1, n. 28, *de Elect.* Quamvis enim dentur alii quidam modi providendi Ecclesiis viduatis, seu beneficiis ecclesiasticis, videlicet per translationem episcoporum, per collationem beneficii liberi, et per institutionem in beneficio ad præsentationem patroni, item et

permutationem Ecclesiarum, seu beneficiorum, de quibus agitur in specialibus titulis: tamen hi ipsi modi facile ad unum prædictorum trium modorum, saltem generalius acceptorum, referuntur. Sic quippe collatio, et præsentatio, commode reducitur ad electionem latius sumptam: cum in his quoque interveniat delectus personæ habilis ad beneficium. Translatio autem episcoporum, sicut et permutatio inferiorum beneficiorum, non fit nisi ad præviam postulationem, electionem, seu nominationem alicujus, ac mediante nova institutione, cui per accidens est, quod episcopi translati, aut clerici permutantes, jam prius supponantur habuisse episcopatum, vel beneficium, ac proinde hæc duo non nisi per accidens, ac respectu termini a quo constituunt specialem modum. Passerinus cap. 1, *de Electione*, n. 53. His prænotatis,

10. *Nominatio triplex; et quid sit nominatio sollemnis?* — Resp. I. *Nominatio sollemnis* est illa, per quam duo, vel plures excellentiores nominantur, seu proponuntur superiori, ad hoc, ut unum ex illis admittat, eique de beneficio providere dignetur. Et additur notanter, « *Nominatio sollemnis*. » Nam, ut advertit Abbas in *c. Quod sicut*. n. 4, h. t.; Barbosa, lib. I, *Juris Eccles. univ.*, cap. XIX, n. 17; Fagnanus in *c. Bonæ memoriæ*, n. 79, *de Postulat. prælat.* post Rebuffum, tract. *de Nominat.* quæst. 1, n. 26, et alios, triplex potest distingui nominatio. Una dicitur consultoria, seu nominatio minus sollemnis; estque ea, quæ præcedit scrutinium, sive quæ fit in collegio quosdam proponendo, tanquam bonos viros, ut de eis fiat scrutinium. Et hæc nullum jus tribuit nominatis, arg. cit. *c. Quod sicut*, h. t. Imo tali nominatione non obstante, possunt capitulares eligere aliam. Abbas, loc. cit. et Fagnanus, ubi supra n. 78, post Glossam magnam, can. *Quanto*, dist. 63, eo quod per talem nominationem exprimat solum consensus de futuro. Altera nominatio est, quæ fit in scrutinio: et hæc coincidit cum votatione privata singulorum eligentium, atque exprimit consensus de præsentati, et publicato scrutinio non potest amplius variari, ut *c. Publicato*. 58, h. t. Tertia nominatio est illa sollemnis, per quam duo, vel plures magis digni nominantur superiori, ut ex illis unum promovere velit. Et de hac impræsentiarum præcipue est sermo, atque de ipsa loquendo,

11. *Hæc in pluribus differt ab electione et*

*postulatione.* — Resp. II. Nominatio solemnitas differt in pluribus ab electione, ac postulatione; et imprimis ex eo, quia nominatio fit de pluribus, non sic electio et postulatio. Ita desumitur ex *c. Quod sicut*, 28, h. t. ibi: « Cum ex prima electione, quæ facta de tribus, dicenda videtur potius nominatio, nihil juris acquisitum sit nominatis. » Et infra: « Non simplex nominatio (qualis ubi supponitur facta de tribus), sed solemnitas electio debet principi presentari, ut postulationi præstet assensum. »

12. *Hæc in pluribus differt ab electione et postulatione.* — Cæterum electio, sicut et postulatio, fit de uno tantum; adeo, ut si plures eligantur, nominatio sit potius, quam electio, per textum allegatum: et si etiam unus solum nominetur, postulatio sit, vel quasi postulatio, arg. *c. Bonæ memoriæ*, 3, de *Postulat. prælat.* ibi: « Per electionem, postulationem, seu nominationem, canonicam. » Ubi Glossa fin. ait, « quod talis nominatio satis similis est postulationi, imo quasi idem: unde dicit postulationem, seu nominationem. »

13. *Primo nominatus censetur cæteris dignior.* — Alia differentia est, quod nominatio possit fieri, ac fiat alternative; non item electio, vel postulatio. Fagnanus, ubi supra, n. 68, citans alios. Electio quippe, atque postulatio, fit de uno solum. Nominatio solemnitas autem de pluribus, ut ex illis superior vel hunc, vel illum promoveat, sicque patet, hanc fieri alternative. Solum adde, quod primo nominatus censeatur cæteris dignior: nam ex ordine verborum est argumentandum, arg. *can. Inter verba*, 41, q. 3, juncta Glossa ibid. *ŷ. Præmisit*. Felinus *c. Cum dilecta*, n. 5, de *Rescript.* hoc limitans, nisi mens disponentis sit certa: quia tunc non curatur ordo verborum. Fagnanus, cit. *c. Bonæ memoriæ*, 3, num. 70, de *Postulat. prælat.* et alii.

14. *Per nominationem an acquiratur jus nominatis?* Tertio differt nominatio ab electione, quod per hanc, postquam est acceptata, acquiratur jus electo: non item acquiratur jus per nominationem, d. *c. Quod sicut de Elect.* ibi: « Nihil juris acquisitum sit nominatis, » ac notat Abbas ibid. n. 4. Passerinus, cap. 1, de *Elect.*, num. 50, citans alios. Quanquam, si nominatio presentata jam fuit superiori, nominantes variare amplius non possint, ne alioquin illud valeat superiori; sicut dici solet de postulatione. Et in hoc sensu Archidiaconus in *can. Quanto*,

dist. 63, num. 6, et Fagnanus, loc. cit. num. 54, docet, quod ex nominatione jus acquiratur nominato, quatenus videlicet post ejus presentationem superiori factam, non licet ab eo resilire, neque ea pendente ad electionem alterius procedere. Antequam autem nominatio fuerit presentata superiori, omnino liberum erit nominantibus, ab ea recedere. *can. Ei qui*, *ŷ. Nominationes*, 2, q. 6. Fagnanus, ubi supra num. 78.

15. *Simplex petitio quid?* — Queritur IV. Quid sit simplex petitio, provisio, presentatio, et collatio beneficii, et quomodo differat ab electione? Resp. I. *Simplex petitio*, quantum ad propositum, aliud non est, ac supplicatio, qua plebs ipsa, seu populus, aliquem sibi dari in prælatum deposcit: prout accidit in *c. Quod Dei timorem de Statu monach.* et concordat *can. Nulla ratio*, dist. 63, ibi: « Nec a plebibus expetiti. » Verumtamen hujusmodi simplex petitio nullum jus tribuit, sicque non continet specialem Ecclesiæ provisionem. Passerinus, cit. cap. 1, num. 53. Per quod patet magna ejusdem differentia ab electione, quarum non minima est, quod electio jus tribuat electo ipsam acceptanti, juxta dicenda *ŷ. seq.* non autem simplex petitio.

16. *Provisio est nomen latum, comprehendens sub se omnes modos providendi Ecclesiis.* — Resp. II. *Provisio* est nomen satis latum, ac veluti genus comprehendit sub se omnes modos, per quos providetur cuiquam de beneficio, ipsique Ecclesiæ de idoneo rectore. Unde complectitur sub se nominationem, postulationem, presentationem, et collationem, arg. *Clem. ult. de Election.* ac notat ibidem Glossa *ŷ. Provisioni*. et Abbas n. 4. Concordat textus in cap. 4. *ŷ. 1.* et in *c. Si compromissarius*, *ŷ. fin.* h. t. in 6, ibi: « Electionem, postulationem, aut provisionem: » nam hic per *ly* « Provisionem, » omnis modus providendi cuiquam de beneficio comprehenditur, quamvis textus ad majorem declarationem de electione, et postulatione, specialem fecerit mentionem. Unde, quod nomen *Provisionis*, in materia saltem favorabili, comprehendat sub se ipsam quoque electionem, tradit Abbas in cit. *Clem. ult.* n. 3, h. t.; Felinus *c. In nostra*, n. 28, de *Rescript.*; Barbosa, tract. de *Appellativa verb. jur. significat.*, appell. 228. et alii.

17. *An et quando sub se comprehendat electionem?* — Nec obstat *c. Cum in illis*, 16, *ŷ. Illis vero de præbend.* in 6, ubi expresse cavetur, quod sub mandato providendi cuiquam de

beneficio, « ad collationem, provisionem, presentationem, vel dispositionem quorumcumque » spectante, non contineatur beneficium spectans ad electionem quorundam; et consequenter sub nomine *Provisionis* non comprehendetur *Electio*. Resp. enim, hoc verum esse in materia odiosa, et strictæ interpretationis: ut est « mandatam de providendo, » cum per hoc præjudicaretur juri tertii, seu ordinarii collatoris: simulque litteræ de obtinendis beneficiis, cum sint ambiciosæ, debeant restringi, *c. Quamvis*, 4, de *Præbend.* in 6. Secus vero est dicendum in materia favorabili, ac large interpretanda; quia tunc verbum *Provisio*, comprehendit omnem modum, per quem providetur Ecclesiis. Felinus, et alii, qui supra. Atque ex his patet differentia provisionis ab electione, cum veluti superius, et inferius differre dignoscantur.

18. *Presentatio, quid?* — Resp. III. *Presentatio* proprie pertinet ad patronum; hoc est, ad eum, cui compefit jus patronatus, de quo in jure canonico extat specialis titulus; ac recte definitur dicendo: « Presentatio est personæ ad episcopum, vel alium, cui compefit institutio, per patronum legitime facta exhibitio, ut ei de beneficio vacante provideat. » Vallensis, tit. de *Jure patronat.* *ŷ. 5*, n. 4, estque in re communis.

19. *Potest fieri per litteras.* — Licet autem presentatio vi nominis idem videatur significare, ac aliquem sensibus corporeis presentem exhibere, juxta Glossam in *Clem. Dudum* *ŷ. Presentari de sepult.*; nihilominus habens jus presentandi potest presentare clericum per litteras, arg. *c. Ea noscitur*, de *his quæ fiunt a Prælat.* ac notat ibidem Glossa *ŷ. Per litteras*. et Abbas num. 2.

20. *Multiplex differentia inter presentationem, et electionem.* — Et quidem inter presentationem, et electionem, multiplex est differentia. Imprimis enim per mutuum consensum eligentium, et electi, quasi conjugale vinculum spirituale contrahitur, *c. Cum inter canonicos*, 21, h. t. Ac fœdus spirituale conjugii inter episcopum, et suam Ecclesiam, in electione censetur initiatum, cap. ult. de *Translat. episcopi*. non item in presentatione. Deinde jus eligendi ad beneficium ecclesiasticum non cedit in laicos, *c. Sacrosancta*, 51, et *c. Massana*, 56, h. t. bene tamen jus presentandi, *c. Quod autem*, 5, et *c. Pastoralis*, 29, de *Jure patr.* Tertio presentatiioni correspondet institutio, electionis confirmatio per supe-

riorem facienda: nam clericum legitime a patrono presentatum, et cæteroquin habilem, tenetur superior ex juris necessitate instituere in beneficio; sicut et ejus, qui canonice electus fuit, electionem confirmare, per quod confertur ipsi jus in re respectu beneficii.

21. *Electio potentius jus confert, quam presentatio.* — Quarto differunt, quia presentatio potest esse unius solius, videlicet patrocini. Electio autem nominis multorum, videlicet totius collegii, cap. 1, h. t., cum similibus. Quinto, electio solum capitulariter fieri potest, *c. Quia propter*, 42, h. t., secus accidit in presentatione; nam hæc etiam per litteras, et ab uno fieri potest, ut num. præc. dictum. Tandem differunt, quia electio potentius jus confert, quam presentatio. Card. Tuschus, litt. E, concl. 89, num. 4; Pirhing, h. t., n. 3. Nam eligentes publicato scrutinio, non possunt amplius variare.

22. *Collatio libera beneficii, quæ?* — Resp. IV. *Collatio libera* est gratuita beneficii ecclesiastici vacantis concessio, facta ab episcopo, vel alio habente facultatem. Ita Vallensis, tit. de *Institutionib.*, *ŷ. 1*, n. 4, estque in re communis. Additur vero notanter, « Collatio libera » ad exclusionem collationis necessariæ.

23. *Collatio generatim accepta dividitur in liberam, et necessariam.* — Unde notandum, quod collatio generatim accepta dividatur in liberam; et non liberam seu necessariam, Rebuffus, tit. de *Collatione*, n. 4 et seqq.; Vallensis, cit. num. 4, ac alii. Et quidem « Collatio non libera, seu necessaria, » dicitur ea, quæ fit ex necessitate juris, videlicet ad presentationem, nominationem, electionem alicujus, vel ad mandatum superioris, aut ex causa permutationis beneficiorum. Glossa, in *Clem. un.*, *ŷ. Conferantur de Rerum permutat.*; Barbosa, tract. de *Appellativa verb. jur. significat.*, appell. 54; Vallensis, et alii.

24. *Cur hæc dicatur necessaria, et prior libera? Collatio libera quodam modo est donatio.* — *Collatio libera*, seu *voluntaria*, vicissim vocatur illa, quæ fit solo jure prælati, sicque est gratuita concessio beneficii facta cuiquam ab episcopo, ut jam dictum. Et hæc quodammodo est quædam donatio, atque liberalitas: ac proinde, seclusa speciali concessione, non potest fieri per vicarium generalem episcopi, cap. ult. de *Officio vicarii*, in 6, neque ipsa transit ad capitulum Sede vacante, cap. un. de *Institut.*, in 6. Licet enim habens jus liberæ

conferendi beneficia, teneatur hæc intra tempus a jure præfixum conferre personis habilibus; non tamen tenetur ea conferre huic vel illi, sed cui vult libere confert, dummodo is cæteroquin sit idoneus: atque ideo, si tibi conferat, gratiam facit, cum tibi eam conferre non teneretur. Secus accidit in collatione necessaria: nam ibi superior necesse habet conferre beneficium ipsimet præsentato, nominato, electo, permutanti aut provideri mandato, dummodo is sit idoneus: sicque talis collatio dicitur necessaria, non solum in dando, sed etiam in cui dando; ac potest fieri etiam per capitulum, Sede vacante, cap. un., de Institut., in 6, et c. *Cum olim*, 14, de Majorit. et obed., cum similibus. Glossa fin., in c. *Relatum*, 9, et Abbas, ibid., n. 4, de Præbend., et alii.

25. *In quo hæc differat ab electione?* — Differt autem libera collatio ab electione vel maxime ex eo, quod per collationem beneficii, quam quis ratam habuit, acquiratur jus in re, et quasi dominium in ipso, licet possessio ipsius necdum acquisita fuerit, arg. c. *Si tibi absent.*, 17, de Præbend., in 6, ac notat Layman, in princip., h. t., n. 4, et Garcias, part. IV, de Beneficiis, c. II, n. 1, citans alios. Per electionem acceptatam vero non acquiratur jus in re, sed dumtaxat jus ad rem respectu beneficii, ut statim amplius declarabitur. Tacentur aliæ differentie, conformiter hactenus dictis colligendæ. (ADNOTATIO XXX).

## § II.

## DE JURE ELECTIS OBVENIENTE VI ELECTIONIS.

26. *Per electionem acquiratur electo jus petendi confirmationem.* — Quæritur I. An, et qua ratione competat electo jus petendi confirmationem? Resp. I. Per electionem canonicam, et acceptatam, acquiratur imprimis electo jus petendi confirmationem: unde si confirmatio suæ electionis sibi injuste negetur, potest eam actione instituta petere, eo quod ex justitia debeat; si cæteroquin electus per superiorem reperiatur habilis. Desumitur hoc ex c. *Postquam*, 3, h. t., ac notat Abbas, ibid., num. 1, dicens, quod confirmatio sit necessitatis, licet electio a principio fuerit voluntatis.

27. *Et ad hanc dandam potest superior compelli.* — Resp. II. Quando superior ad quem spectat confirmatio, debite requisitus, non

vult confirmare rite electum, et cæteroquin dignum, potest ipse ad instantiam electi per suum superiorem compelli, vel ei præfigi terminus ad faciendam confirmationem cum comminatione, sive intimatione, quod nisi infra talem terminum confirmet, superior jure devolutionis id faciet. Ita Glossa, ad rubric. de *Postulat. prælat.*, in 6. Abbas, c. *Postulationem*, num. 4, eod. et alii. Ratio est, quia electio innititur juri, sicque canonicè electo per eam fuit jus quæsitum ad prælaturam; ergo, si electus confidat de idoneitate seu personæ, poterit prosequi jus suum, c. *Cupientes*, 16, h. t., in 6, nec petendo confirmationem reputatur ambitiosus, cum jus suum persequatur.

28. *Fallit hoc in Papa.* — Cæterum istud procedit dumtaxat in superiore habente potestatem confirmandi infra Papam; tum quia summus Pontifex non habet superiorem in terris, a quo possit compelli ad concedendam confirmationem; tum quia is, de plenitudine potestatis, potest denegare confirmationem, arg. can. *In memoriam*, dist. 19, et can. *Per principalem*, dist. 9, juncta Glossa, ibid., §. *Ad nos*, dicente, quod Papa possit aliquem privare beneficio, præsertim accedente rationabili causa, can. 1, dist. 22, juncta Glossa, §. *Injustitiam*. Abbas, cit. num. 4; Rebuffus, quæst. 6, *Super concordatis Germaniæ*, n. 3, dicens Pontificem non sic electione esse ligatum, quin ex evidenti causa, postposito electo, Ecclesiæ de alio prælato possit providere. Pirhing, h. t., num. 304, id. probans etiam ex concordatis Germaniæ. Unde Fagnanus, c. *Consultat.* n. 29, de *Cleric. ægrot.* inquit, quod omnia beneficia sint Papæ libera, et manualia. (ADNOT. XXXI).

29. *An electio tribuat jus in re, vel ad rem respectu prælaturæ.* — Quæritur II. Utrum electio tribuat electo jus in re, vel solummodo jus ad rem respectu prælaturæ? Resp. I. Circa hoc non adeo inter se conveniunt doctores; unde expedit diversas eorum opiniones ponere.

30. *Sententia asserentium, tribui jus in re; ejusque probatio.* — Et quidem Glossa magna, in can. *Quanto*, dist. 63, velle videtur, illud esse jus in re; sic enim inquit: « Per electionem acquiratur electo jus prælaturæ, et jus administrandi, sed non exercitium prælaturæ, vel administrationis: per confirmationem enim nihil novi juris acquiratur, sed tantum exercitium. » Eamdem sententiam tenet Joan. de Selva, tom. XV *Tractatum*,

tract. de *Beneficio*, part. III, cap. I, n. 3 et seqq., docens cum aliis a se allegatis, quod electio nondum acceptata conferat jus ad rem, arg. c. *Publicato, de Elect.*, sed, ubi accesserit consensus electi, tribuat jus in re, arg. c. *Nihil est*, 44, eod.; ibi enim electus nondum confirmatus habet administrationem: simulque quia per confirmationem non acquiratur jus, sed solum confirmatur jus olim acquisitum, ut c. *Cum dilecta*, 4, de *Confirmat. utili*. Et huic sententiæ favet Abbas, c. *Postquam*, n. 2, h. t., et Fagnanus, c. *Nosti*, n. 3, eod., dum dicunt, quod electus ante confirmationem habet jus solum in habitu, non in actu; et quod per confirmationem acquiratur electus exercitium juris competentis prælaturæ. Hæc enim sententia in re non distinguitur a priori: quinimo idem Fagnanus, c. *Cum vos*, n. 41, de *Offic. ordinar.*, expressis terminis dicit, quod electio dat jus in re. Verum his non obstantibus,

31. *Præfertur sententia dicens per eam tribui solum jus ad rem, ante confirmationem. Quæ probatur multipliciter.* — Resp. II. Electio canonica, et acceptata, ante confirmationem superioris non tribuit jus in re, sed tantum jus ad rem respectu prælaturæ. Ita Antonius de Butrio, c. *In nostra*, n. 25 et 26, de *Rescript.*; Imola, Clem. 1, § Glossa, *Collato. Ut lite pendente*, addens, quod electus ante confirmationem non possit dicere beneficium esse suum, sed sibi debitum; Layman, in princip., h. t., n. 4; Pirhing, eod., n. 2; Passerinus, cap. xxxiii, de *Elect.*, n. 7, appellans hanc communem et veram sententiam. Probatur hæc conclusio imprimis, ex c. *Super his*, 16, de *Accusationib.*, ubi dicitur, quod si crimen objiciatur electo « ante confirmationem, crimen hoc modo probatum, impedit promovendum, sed non dejicit jam promotum: post confirmationem vero dejicit ab obtento. » Et consequenter electus ante confirmationem nondum habet jus in re respectu prælaturæ (alioquin jam tunc ob crimen probatum dejiceretur ab obtento) sed dumtaxat jus ad rem, utpote promovendus, si nihil canonicum obstiterit.

32. *Qui nihil habet, nihil dare potest.* — Accedit ratio: quia, qui nihil habet, nihil dare potest, ut can. *Gratia*, 1, q. 1, et can. *Dai- bertum*, 1, q. 7, cum concordantiis ibidem a Glossa adductis: atqui electores non habent jus in re respectu prælaturæ; ergo nec hoc dare possunt. Unde hoc jus electo tribuendum est, ac primum tribuitur per summum

Pontificem, veluti caput Ecclesiæ universalis, dum vel per se, vel per inferiorem prælatum sua auctoritate fungentem, confirmat electionem canonicè celebratam, per quam eidem electo jus ad rem respectu prælaturæ fuerat acquisitum.

33. *Si electus moriatur ante confirmationem, non per mortem ejus, sed prioris, vacat prælatura. Vacatio beneficii durat usque ad confirmationem novi prælati.* — Præterea signum hujus, et quidem manifestum est hoc: quia, si electus moriatur ante confirmationem, prælatura non censetur vacare per mortem hujus electi, sed per mortem prioris prælati. Siquidem prima vacatio beneficii, seu prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius prælati, arg. c. *Quam sit Ecclesiis*, 6, et c. *Cupientes*, 16, § 1, de *Elect.*, in 6, ac notat Glossa, in Clem. 1, §. *Collato. Ut lite pendente*, et ibi Abbas, n. 1; Layman, d. n. 4, ac alii. Qui proinde, sicuti et Rota, decis. ult. de *Elect. in novis*, inde concludunt, quod si electus nondum confirmatus moriatur in curia, Ecclesia illa, in qua facta est electio, non censeatur vacare in curia: secus, si ibidem moriatur electus jam confirmatus.

34. *Electus ante confirmationem libere resignat beneficium, sive prælaturam.* — Accedit, quod electus ante obtentam confirmationem libere, seu non requisito consensu superioris, possit renunciare beneficium seu prælaturam in manibus eligentium; ut pluribus tradit Glossa, in c. *Si electio*, 26, §. *Renuntiat.*, h. t., in 6, et alia Glossa, c. *Cum venissent*, §. *Renuntiavit. De in integrum restitut.* atque Abbas, ibid., n. 11, cum aliis passim. Etenim ante confirmationem nondum est Ecclesiæ jus quæsitum respectu electi: et consequenter etiam hic nondum habet jus in re ad illam. Unde, in cap. ult. de *Translat. episc.* notanter dicitur, quod spirituale fœdus conjugii, quod est inter episcopum et Ecclesiam, in electione intelligitur initiatum, et ratum in confirmatione: atqui fœdus conjugii dumtaxat initiatum (quod in matrimonio carnali fit per sponsalia de futuro) non tribuit jus in re, sed tantummodo jus ad rem: ergo.

35. *Solvuntur rationes prioris sententiæ.* — Nec obstant rationes Joan. de Selva, in contrarium, n. 30, adductæ. Nam in c. *Nihil est*, h. t., non tribuitur omnibus electis potestas administrandi, sed solum valde remotis, seu ultra Italiam constitutis; et hoc dispensative « propter necessitates Ecclesiarum, et utilitates, » ut loquitur textus; qui proinde nibi